FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

DE MORBIS, || QVOS VENENA IN=||TRA CORPVS SVMTA, CO=||GNITA ET OCCVLTA QVA || litate efficiunt, || DISPVTATIO V. || Quam peculiari collegio, || ...

Jessen, Johann von

[Wittenberg], 1596

VD16 ZV 31057

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149377

Visual Library

DE MORBIS, QVOS VENENA INTRA CORPVS SVMTA, COGNITA ET OCCVLTA QVAlitate efficiunt,

DISPVTATIO V.

Quam peculiari collegio,

PRAESIDE

IOHAN. IESSENIO à IESSEN,
Doctore & Professore.

Ad 8. Septembris adornat

IACOBVS PRAETORIVS
Livo.

Excudebat Iohannes Dörffer typis Cratonianis.

Anno cIↃ IↃ XCVI.

30,

Generosá nobilitate, & nobili generositate viris, prudentiæ virtutumque præcellentium famá decantatissimis,

Dn. GERHARDO à NOLL, Illustrissimis Livoniæ Principibus à consilijs celeberrimo;

Nec non

Dn. CHRISTIANO SCHRODER, consiliario itidem prudentissimo, tum visitatori dignissimo,

Mæcenatibus suis exquisitiori officiorum culturá prosequendis demissè,

Hoc artis Medicæ tyrocinium dicat dedicat

Iacobus Prætorius Livo.

DE MORBIS, QVOS VENENA INTRA CORPVS SVMTA, cognità & occultà qualitate agunt,

CAPVT I.

A venenis, siue ore assumantur, aut forinsecùs accedant, varij cum oriantur totà substantiâ repugnantes morbi, prius de his, qui ex assumto veneno proficiscuntur, instituatur disputatio. Venena partim plantæ, partim mineræ, partim animalia suppeditant Hæc quod omninò corpora nostra vincant atque mutent, medicamentis adnumerantur: vnde Græcis φάρμακα; sed cum adjectione, δηλητήρια, θανάσιμα, φθαρτικά appellantur quorum initiò contemplari differentias placet.

De differentijs venenorum

CAPVT II.

Venenorum quædam excessu duntaxat qualitatum elementorum, quorum mistione constant, agunt: quædam formâ propriâ solum: alia vtraque, & qualitate elementari & propriâ, quam specificam formam vocant. Quæ caliditate excedunt, intra corpus assumta corrodunt, vrunt, idemque foris imposita peragunt; qualia sunt euphorbium, elleborus, arsenicum. sũmè frigida sua qualitate corpus algidum stupidumq; efficiunt, velut opiũ obstructisq; ingenti frigiditate meatibus strangulant, vt exustum plumbum, Sicca nimium, calx viva humidum absumunt, solidaq; dissipant. Humidum quanquam ita extremum multi dari pernegent, oppositum tamen ille, cui à morsu serpentis carnes defluxere, docet. Quæ vero propriâ suâ facultate enecant,

peculiari id vi patrant; vtraq; verò qualitate venena quædam interimere euphorbium ostendit, quod licet venefica vi, quam à caliditatis excessu, obtinet, noceat; noxium tamen & latente suà substantia existere indicio Theriaca est, quæ huic, quemadmodum & omnibus à formalibus causis morbis resistit. Quod si igitur solà excedente caliditate euphorbium damnum inferret, tantum abest, vt Theriaca, quæ non parum caliditatis obtinet, auxilio futura sit, vt etiam noxam ipsius foveat. Datur & à subjecto & effectis venenorum quædam diversitas. Nam licet cuncta cor ipsum petant, quædam tamen intus assumta separatim vni tantùm corporis membro noxia comperta sunt. Lepus enim marinus pulmones, & antharides vesicam afficiunt peculiariter: Mandragora præ alijs cerebro incommoda, quibus etiam privata à Medicis auxilia dictata libroq; 6. apud Dioscoridem & alios enumerata.

De venenorum effectis.

Capvt III.

Symptomata, quæ morbos à venenis profectos cõsequuntur, plura longè sunt & magis terribilia, quàm quæ cæteros. Varia autem accidunt, pro varijs, vnde morbi fiunt, venenis. Commune tamen omnium est, vt vires conuellant, præcipuasq; actiones intercipiant, & ob id quo que reliquas labefactent. Propriè vero alia symptomata, cum venena totà substantià adversantur, alia cùm caloris, alia cùm frigoris &c. exuperantià nocent, superveniunt. Venena etiam totà suo tantià contraria, quod alias atq; alias affligant partes, diversa quoque efficiunt accidentia. Illa autem maximè sequuntur, quæ ad partem potissimè affectam pertinent: velut si assumtum solanum maniacum fuerit, delirium, quòd cerebrum lædatur: aut difficultas vrinæ, si propinatæ Cantharides: ab assumto Leporis marini pulmone, sanguinis sputum sequitur. Calido veneno vt plurimum super-

venit

venit inexplebilis sitis & dolor acerrimus: frigido lethargus jngensque dormiendi necessitas.

De signis assumtum venenum demonstrantibus.

Capvt IIII.

Sub sensum symptomata cadunt. Causa verò hoc est, venenum ipsum sumtum, aliquando ab ægro, aut familiaribus, si, quale fuerit, constet, Medico, refertur. His verò etsi incognitum sit, partim ex his, quæ generatim, vel speciatim veneno sumto prodesse solent; partim ex effectis conjectandum, quibus & morbus in genere percipietur. Speciatim verò morbi, qui totà substantiâ injurij à venenis fiunt, cognoscentur ex causis, puta, ex tali veneno, quod assumtum esse constat, ex proprij antidoti auxilio & germanis symptomatibus. Sic ex sputo sanguinis morbus pulmonis & veneni species, Lepus marinus. Ex vrina cruentà, renum & vesicæ ob assumtas cantharides exulceratio. At multò facilius est, morbos evidenti qualitate, frigore vel calore &c. noxios agnoscere. Illum enim quem peragit venenum calidum, primo ex causis corrodentibus vel adurentibus, vt ex sandarachà, auripigmento epoto: ex his quæ refrigerando prosunt: ex effectis velut ex mordentium & pungentium sensu, ex anxietate, ventriculi, intestinorum dolore intolerabili, vigiliis, vomitu, dejectione colligemus. Ille verò quem venenum frigidum conciliarit, ex causa antegressà; vt si hominem Cicutam aut Mandragoram sumsisse certum sit; tùm ex his, quæ prosunt calfaciendo; cujusmodi aromata & vinum nobile largè sumptum (paucum enim veneno potius vehiculum est) postremo ex graui somno divinabitur.

De indicijs morborum venenatorum exitus designantibus.

Capvt V.

Exitus sic plerunque perniciosus est, sæpè tamen, si initijs obstatum sit, salutaris sequitur. Vter futurus, si robur naturæ, ac remediorum, cum morbi, causarum & symptomatum impetu contuleris, præsagies. Naturæ robur conijcies ex causis internis, vt spiritibus & succis qualitate moderatis, quorsum & externæ plurimùm concurrunt, præteritus nempe victus salubris, tùm ex his, quæ prodesse solent si multùm prosint: ex effectis tandem, qualitatibus corporis, & ijs quæ retineri naturaliter aut detrudi solent, non multùm à naturali conditione muratis. Morbi similiter vis ex causis, ex specie scilicet & copia veneni indaganda. Ex his, quæ nihil, aut parùm prosunt, ex symptomatum frequentia aut vehementia. Tempus eventus vtriusque non diuturnum esse consueuit. Via autem salutis, si materia, hoc est, venenum expellatur, & relicta maligna qualitas à naturà, vel medicamentis emendetur. Via interitus, si cor attingatur vt actiones omnes evertantur.

De præservatione.

Capvt VI.

MOrbos, qui à venenis sumtis oriuntur, si quos quam alios præcavere satius est, quam ubi jam sint, curare, siquidem adeo interdum exitiosi, ut prosterni se remediis ægrè patiantur. Caput vero præservationis in fugà causæ & corporis apparatu, ut quam minimè huic obnoxium sit, consistit. Veneni declinatio ad prudentiam; corporis vero apparatus ad artem Medicam pertinet. Fortuita, prudens, si vasa, quibus esculenta poculentaque continentur, ne bestia insiliat venenata, exquisitè operta serventur, devitabit

bit: nullá verò aliá certiori, quam infidelium conversationis fugá paratá, evadet toxica. Quos vero sibi Principes per preciosos lapides præsentium venenorum precio magno quærunt proditores, & per ministrorum prælambtus, securitatem statuunt; ingenio, quod fateri liberale est, non assequor. Non mediocriter verò corporis apparatus à venenis tutum reddere hominem valet: non autem sic, secundum aliquos, in quotidianá assumendi venena consuetudine situs est; sed potius in antidotorum frequenti vsurpatione, quæ ita nostra contra venena obfirmare corpora potentia, vt nullam ab ijs injuriam pati permittant, quemadmodum id de Mithridate Ponti Rege celebratissimum.

De curatione.

Capvt VII.

HIs, qui venenum cibo vel potú sumserunt, opitulari non ita facilè, quam aliis, quibus morsu vel ictu illatum. Incommodum enim hîc non protinus sentitur, ita vt non illicò curationi detur opera; deîn non à cute, sed partibus internis sumit initia; demum quoniam ea, quæ offeruntur remedia, non æquè proximè locum attingere & quod noxium queunt expellere. Res tamen non omnino impossibilis. Multiplex autem curationis consilium. Venenum enim educendum est, Quod Verò educi nequit; partim corrigendum & frangendum; partim ad externas & ignobiles partes relegandum. Educendum igitur primum, quod sumtum qualecunq; venenum maxime vomitu, post & dejectione. Principiò cum in ventriculo versatur, vomitum movere, vt aliquid prohibeat, expedit. Concitatur vomitus his, qui lenia sunt, & molliendi laxandique vi pollent. Quare illico propinabimus oleum tepidum; vel per se cum aquá mistum: pariter ex mulsa butyrum aut nitrum, quibus & alvus solvitur, quod expedit, postquam ad intestina venenum decubuit. Quo tempore in alvum clysteres partim pingues, partim acres vt pariter laxetur & educatur, immittendi, quanquam & vtiliter catharticis ducitur. Alterum quod in curatione requiritur, opus est, veneni quod inani-

ri ne-

ri nequit, correctio. Venenum quod si frigidum fuerit, per ea quæ calida: calidum vero per contraria obtundendum. Quæ vero ob crassiciem perniciosa sunt, extenuantibus & incidentibus; vtpote aceto frangenda, saleque Hippocrati laudatissimo venenum digerendum. Sed si venenum tota substantia hostile sit, alexipharmacis proxima disputatione cõmemoratis, proprieque sic, quod venenis sumtis opitulet, vocatis, oppugnandum. Hæc omnibus venenis communia auxilia & maximè cum veneni species latet, necessaria. Nam vbi quale sit constet, ad proprias confugiendum antidotas, diligenter à Medicis annotatas. Tertium, quod veneno sumto medicamentis & educentibus & venenum superantibus jam adhibitis opus, requiritur, est, vt à corde & præcipuis partibus avertatur & cutim versus vocetur. Quorsum motus & vigilia, impetuosæ frictiones, balnea Laconica & sudoriferorum haustus pertinent. Sunt qui hoc fine equum, aut mulum medium disrumpunt, & viscerum loco mox ægrum nudum recondunt, quo calore, à centro ad circulum, venenum trahatur. Hoc remedio vsi sunt patrum memoria Alexander 6. Pontifex & Cæsar Borgia filius, sed hic non benè convaluit; ille paulò post interiit, cum ministrorum negligentia, quod aliis pararant, ipsi bibissent venenum, cuius vis prius quam id auxilium experirentur, iam in viscera penetrarat. Et hæc de venenis intra corpus absorptis gratia disputationis paucis asserta sint.